

Universitätsbibliothek Paderborn

Ioannis S. R. E. Cardinalis Bona Opera Omnia

Tribus Tomis comprehensa

Opvscvla Spiritvalia - I. Horologium Asceticum. II. Principia Vitae
Christiana. III. Manuductio ad Coelum. IV. Via Compendii ad Deum. V. De
Sacrificio Missae. VI. De Discretione Spirituum ... Operum Eminentiss.
Cardinalis, Tom. I

Bona, Giovanni

Parisiis, 1677

Gratitudinis

urn:nbn:de:hbz:466:1-9969

solum ardentissimè concupisco cum omni affectu & de-
votione omnium electorum tuorum tecum epulantum in
mensa tua , quorum divitias offero tibi in supplementum
inopie meæ. Esto tu solus gaudium meum, tranquillitas
mea , refectione mea & thesaurus meus , in quo mens mea
quiescat. Nihil desiderem extra te , & omnia mihi viles-
cant præter te Deus meus dulcedo mea , & unicum cen-
trum cordis mei.

GRATITUDINIS.

Quis sum ego bonitas infinita , ut me sacris altaribus
astare volueris, tibique offerre de donis tuis sanctum
sacrificium hostiam immaculatam ? Unde inveni hanc
gratiam in oculis tuis ut ostenderes in me divitias miseri-
cordię tuæ ? Venite & audite omnes Angeli & Sancti
Dei , & narrabo vobis quanta fecit Dominus animæ meæ.
Nam cum essem abjectus in domo mea , de pulvere erexit
me , & constituit me cum Principibus populi sui ut co-
mederem panem & biberem vinum in mensa sua omnibus
diebus vitæ meæ. Quas ergo tibi gratias agam, clementissime
Jesu , Salvator Mundi , aut quid retribuam tibi pro
omnibus quæ tribuisti mihi ? Verè enim de te sponso
Ecclesiæ illud Canticorum intelligitur. *Si dederit homo*
omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil
dipiciet eam. Tu omnia quæ habes mihi largitus es, cor-
pus, sanguinem, animam, & divinitatem tuam : & si ego
tribuam tibi omnem substantiam domus meæ , corpus,
animam, & libertatem cum omnibus quæ nunc habeo
vel habere possum, hoc quasi nihil reputabitur compara-
tione immensi , & inæstimabilis doni tui. Tantum tibi
debeo , quantum ipse vales , qui infinitus es : quare de-
bitum meum omnem meam facultatem excedit. Audeo
ramen rogare te , quia benignus , & misericors es , & tu
nosti paupertatem meam , audeo rogare te , ne despicias
munusculum quod tibi offero in simplicitate cordis mei
dicens cum sponsa , *Dilectus meus mihi , & ego illi.* Nam

sicut tu totum te mihi tradidisti in nutrimentum animæ meæ; ita ego me totum servituti tuæ consecro, & quicquid habeo, quicquid sum, quicquid possum tibi penitus trado, ut me totum tibi vendices, nec quicquam mei mihi patiaris superesse.

TIMORIS.

AD mensam convivii tui à te vocatus & invitatus, Domine Jesu, summum bonum meum & felicitas sempiterna, parere quidem vocanti vellem, teque amanter & devotè suscipere; sed contremisco valdè, cum meam intueor fœditatem, contremisco à voce Apostoli tui dicentis: Si quis manducaverit panem hunc & biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini. Mira enim res est, & portento simillima. Pascor cœlesti pane, quo saturari possunt infiniti mundi: potor præclarissimo vino, quo ardenterissima Angelorum sitis extinguitur; & fame ac siti aresco: omne cœli gaudium intus fero, & terræ illecebris irretiri non desino, vanaque solatia à creaturis emendico: ad Deum excelsum, fontem omnium bonorum quotidie accedo, & sub specie panis & vini ipsum quotidie sumo; & non solum non rapior cum Paulo in tertium cœlum, sed terræ totus adhæreo, omnisque mea sollicitudo terræ famulatur & corpori, nulla cælo. Hæ sunt angustiæ, quæ me undique premunt, hæc consternatio mea magna nimis. Vereor enim ne quod in salutem constituisti, in judicium & condemnationem accipiam. Nunquid ergo fugiam à facie tua cum impio Cain, aut abscondam me cum Adamo, eo quod nudus sim, & audierim vocem tuam? Absit. Scio enim quia major est misericordia tua, quam miseria mea: major est clementia tua, quam iniquitas mea. Si fœdus, si infirmus, si nudus sum: tu me potes mundare, sanare, vestire. Ad te igitur cum timore, & tremore confugio, ut me vestias, sanes & purifiques. Abstrah cor meum à cæteris omnibus extra te, in quibus nihil est nisi vanitas & afflictio spiritus.

Pp. iiii